C. D.

DE

DETEGENDIS FACULTATIBUS

Occasione

L. 2. Cod. Quando & quibus quarta pars debetur &c. Lib. X.

PRÆSIDE

PETRO MÜLLERO D.

Consiliario Saxonico, Facultatis Juridicæ, Scabinatus & Curiæ Provincialis Assessore, Codicis, Juris Publici Feudalium & Novellarum Professore Ordinario

IN

AUDITORIO JCTORUM

d. Martii

disputabit

AUTOR

JOHANNES Langheim/

Tunderensis - Holsatus.

Jenæ, Literis Bauhoferianis 1692.

VIRIS

Nobilissimis, Amplissimis ac Consultismis

DN. NICOLAO TÜCH.

Comitatus Schakenburgensis Administratori,

Ut &

DN. PETRO Langheim/

Civitatis Tunderensis Senatori Seniori

Illi Patrono, huic Parenti æterno observantiæ & honoris cultu Colendis.

Hoc qualecunque studiorum specimen tota animi devotiss. mente

D. D. D.

AUTOR.

C. D.

CAPUT I.

DE DETEGENDIS FACULTATIBUS IN GENERE.

SUMMARIA.

I. *Quid detegere significet.* II. *Quid Facultates.* III. *Nemo invitus tenetur detegere facultates suas; adducuntur rationes.* IV. *Excipiuntur casus, ubi manifestari debent ac constare aliis de patrimonio. Referuntur regulariter Quatuor casus.*

THES. I.

DEtegere hoc loco idem est ac aperire entdecken / aufdecken. Ita apud Livium *Lib.* 10. *c.* 4. dicitur *detegere nequicquam conditas insidias.* & *in l. in summa.* §. 1. *d. condictione indebiti* habetur: *Sin autem evidens calumnia detegitur, & transactio imperfecta est & repetitio dabitur.* Unde detecta fraus, Detecta conjuratio. Calv. *Lexic. jur. hoc. voc.* In specie usurpatur in *l. 2. C. quando & quibus quarta pars debetur ex bonis decurionum & de modo distributionis eorum lib. 10. tit. 34.* hæc vox in eodem sensu, ibi: *Quid enim tam durum tamq; inhumanum est, quàm publicatione pompáque rerum familiarium,*

liarium, & paupertatis detegi vilitatem, & invidiæ exponere divitias? cujus legis occasione conscripta est hæc dissertatio.

TH. II. *Facultates* in plurali numero tantùm sunt divitiæ, opes, οὐσία, ὑπαρξις. quod quisqve in patrimonio ac bonis habet. Sic Facultates Equestris ordinis, pro censu equestri Plinius *lib. 1. epist. 19.* dixit. Facultates patrimonii. Et Imperator Justinianus in §. *3. Instit. quib. ex caus. manumittere non licet* graviter dicit: *Sæpè de facultatibus suis amplius, quàm in his est, sperant homines.* Ulpianus *in l. quæsitum. §. sed & ipse Papinian. ff. d. fund. instruct.* facilem, inquit, judici voluntatis conjecturam fore, cæteris patris facultatibus examinatis. Idem Ulpian. *in l. 1. §. si inter Magistratus ff. d. magistrat. conven.* exclusis facultatibus. Diminutum esse de facultatibus Tryphonino dicitur *in §. ult. 55. ff. d. administr. tutel.*

TH. III. Nemo autem invitus tenetur detegere sive manifestare facultates seu patrimonium suum; ne, uti est in *d. l. 2. C. quando & quibus.* si homines mediocris conditionis vires ampliores habeant, easve sudoribus fortan acquisierint, fraudantesqve genium suum comparserint, eo ipso invidiam attrahant, nec nisi persecutiones expectare habeant necesse; vel eorum, qui divites vulgò audiunt, seseqve pompâ efferunt ut ditissimi velint æstimari, vilitas parvitasqve copiarum, ut vel parum adsit præsidii manifestetur; diminutis enim divitiis diminui solet honos.

TH. IV. Sunt tamen Casus, ubi Facultates hominum necessariò detegi debent, qui contingunt vel *vel post mortem*, vel *vivis adhuc rerum dominis.* Priori casu, quando plures existunt heredes, vel etiam si unicus sit atque reperiatur in hereditate æs alienum, ne ultra vires ejus obligetur, o-

pus

pus est inventario, vel etiam fideicommissum subsit, quo casu opus est descriptione, quam *Inventarium* vocant, quo ipso deteguntur facultates. Posteriori casu deteguntur facultates varias ob causas; aut enim quis arripit fugam, forsan ob crimen perpetratum, tunc fit bonorũ *Annotatio;* vel quis tantis obrutus est nominibus, ut metuendus sit *carcer obaratorum*, tunc cedere potest bonis, & mediante juramento facultates suas detegere; vel denique *ob censum publicum* in nonnullis civitatibus introductum est, ut cives facultates suas sive patrimonium juratò detegant atque manifestent. Hi, inquam, præcipui sunt casus, ubi à regula prædicta receditur, atque illud quod in occulto fuit hactenus, manifestum fit.

CAPUT II.

DE DETEGENDIS FACULTATIBUS DEFUNCTORUM.

SUMMARIA.

I. *Necessitas detegendi facultates defuncti in herede est hypothetica.* II. *Non semper solenniter fit ista detectio.* III. *Si remissa est solennitas à testatore, nihilominus debet fieri redditio rationum.* IV. *Referuntur requisita solennis inventarii.* V. *Deteguntur sæpè facultates jurisjurandi religione, quam juratam specificationem vocant.* VI. *Quinam ad eam teneantur, & in casu ubi adest inventarium.* VII. *Tunc demum locum habet, quando defectus sunt verisimiles facti.* VIII. *Si inventarium conficiens vel specificans omittat unam alteramve rem manifestare, ad quidnam teneatur?*

THES. I.

Necessitas detegendi facultates defuncti in Herede est hypothetica; hoc est, tunc demum consignare præsentibus aliis hominibus patrimonium debet heres, si metuat æs alienum latens, vel etiam à testatore sit gravatus onere fideicommissi, neque velit ultra vires hereditatis ad solvendum constringi. Nemo enim tam insipidus erit, qui sese facilè immergere velit damnosæ hereditati, neque leges permittunt, ut defraudentur homines, quibus defunctus benè voluit, nec quòd voluntates ultimæ suum non habeant exitum.

TH. II. Detectio autem illa & consignatio facultatum non ubique est solennis, h.e. multis accersitis hominibus ceu testibus non semper fit manifestatio, sed quandoq; sufficit, si saltem de qualitate & quantitate facultatum ex inventario seu instrumento illo justo tempore conscripto constet. Ita Mulier, cui maritus omnium bonorum usumfructum in testamento concessit, & confectionem inventarii remisit, tenetur consignare bona à marito relicta, & describere; *l. 1. §. 4. ff. usufructuar. quemadm. cav. l. 1. & l. 4. C. d. usufr. & habitat.* Gail. *2. O. 144. n. 16.* Græv. *pract. concl. 2, O. 144. consid. 1. in pr.* Ita Militi minus solenni inventario, beneficio Gordianæ constitutionis, succurritur *l. ult. C. d. jur. delib.*

TH. III. Quando detectio facultatum solennis seu confectio inventarii, tanquam necessarium quoddam fundamentum, à testatore remittitur, nihilominus rationum redditio à tutore exigitur, quæ sine dolo omitti nequit; sed & id saltem actum, ut solenniter, publicè & in præsentia publicarum personarum non debeat fieri descriptio bonorum pupillarium, propter rationem in *d. l. 2. quando & quib. quart. pars debet.* Eo tamen casu debet cognatis exhiberi consignatio Carpz. *p. 3. c. 11. d. 4.*

Th. IV. Ubicunqve verò versatur præjudicium tertii seu Creditorum, detegendæ sunt facultates solenni modo, qui in eo consistit; ut heres postquam delatam sibi esse hereditatem agnovit, intra 30. dies inventarium solenne inchoare, & intra sexaginta dies post apertas tabulas sive publicationem testamenti juxta *l. fin. §. sin autem 2. C. d. jure deliber.* absolvere debeat; vel si absentes, & bona hereditaria diversis in locis diffusa sint, annale spatium concessum est, intra quadrimestre tempus inchoandum *Nov. 1. c. 4.* Add. Cynus in *d. l. fin. §. si verò C. d. jur. delib.* Potest tamen tempus illud à lege positum prorogari Faber *in Cod. d. jure deliber. def. 19.* imò contra lapsum temporis restitutio à magistratu conceditur Giphan. *ad d. l. fin. C. eod.* Carpzov. *p. 3. c. 33. d. 13.* (2) ut adhibeatur Notarius rogatus & requisitus *d. l. fin. §. sin autem dubium.* (3) qui propria manu conscribat Instrumentum Mynsing. *1. cons. 795. num. 52.* (4) adhibeantur ad minimum duo testes, & in casu absentium creditorum Legatariorumve tres desiderantur testes Natta *cons. 214.* (5) Debent quoqve citari Creditores, Legatarii & Fideicommissarii, si qui sint, quorum loco admittuntur procuratores & mandatarii eorum *Nov. 1. cap. 2. §. fiat itaque.* junct. *vers. si absunt.* (6) omnia bona, quæcunqve tempore mortis habuit defunctus, debent specificè describi, tum genericè, tum distinctè per pondus, numerum & mensuram *l. quod sæpè. 35. §. in his ff. d. contr. emt.* (7) debet inventarium ab herede subscribi *d. l. fin. §. sin autem dubius. C. d. jur. delib.* ibi: *subscriptionem.*

Th. V. Deteguntur facultates & manifestantur jurisjurandi religione, quem modum vocant *juratam specificationem*, inter quam & inventarium hoc interest, quod hoc solenne, publica debeat fieri autoritate, ideoqve pro eo, tanquam instrumento publico præsumitur, donec probetur

con-

contrarium, *l.fin.* §.*fin autem, C. arbitr. tutel. l.ult.* §. *licentia. C. d. jure delib.* pro ſpecificatione autem nuda & privata deſignatione tantum abeſt, ut ſit præſumptio, ut potiùs fraus aliqua præſumatur, quæ jurejurando exculpanda eoqve cum nuda plenam fidem haud faciat, ſupplenda Rauchbar *part.1.qv.29.n.11.* Mevius *ad Jus Lubec.p.2. tit.2.art.27.in addit.ad n.59. & p.* 6. *deciſ.59.n.fin.*

TH. VI. Ad cujus juratæ ſpecificationis editionem tenentur omnes, ſive heredes ſint, ſive bonorum alienorum adminiſtrationem ſuſcipiant, modo ad reſtitutionem rei ſint obligati Carpz.*p.30.c.33.d.6.& ſeq.* Mev. *d.p.2.art.33.n.50.* etiam eo caſu, quando factum quidem eſt inventarium, ſed non eo quo oportebat, modo, ut ita in ſuſidium ſaltem juramento locus ſit *d.l.2.C.quand. & quib. quart.pars & c. libr.10.* ibiqve Gloſſ. & DD. *in verb. jurata fide.*

TH. VII. Juratam bonorum detectionem petens, præſertim ſi adſit inventarium, non priùs admittitur, quàm ſi defectus, qui allegantur, veriſimiles facti ſunt *l.fin.* §. *licentia. verb. ſi majorem putaverint ſubſtantiam à defuncto relictam, quam heres in inventario conſcripſit. C. d. jure delib.* Mev.*p.4. deciſ.92.* Non autem petere poſſunt hanc ſpecificationem creditores ex lucrativa cauſa, ſi prohibitio teſtatoris de non conficiendo inventario proceſſerit, utpote Legatarii, ſi heres vires hereditarias tantas eſſe negaverit, unde in ſolidum legata & fideicommiſſa exſolvi posſint, idque propter voluntatem teſtatoris averſativam ita ut Legatarii hereditatem ſolvendo fuiſſe, debeant probare Movius *d.jurat.ſpecificat. cap.2.* §. *16.*

TH. IIX. Itaque ſi quis omittat prædictis modis, nempe mediante inventario vel jurata ſpecificatione, indicare bona & res alienas, ſibi quàm maximè nocet, nam adverſus

sus ipsum jurari potest in litem *l. adversus. 4. C. expilat. heredit. l. 8. §. 1. rer. amot. l. 3. C. eod.* Brunnem. *ad l. fin. C. d. jur. deliber.* §. *14.* neque enim caret heres suspicione jurare renitens, ubi meritò juramentum in litem conceditur Bartol. *in l. actionibus 5. d. in lit. jur.* Coler. *p. 1. decis. 188.*

Th. IX. Quando heres quidem detegit facultates defuncti, sed non omnes, ita ut unam alteramve rem subtrahat, non quidem totum privilegium inventarii omittit, uti tamen vult Bartol. *in l. 24. ad L. falcid.* sed condemnandus est subtrahens ad duplum, quod si restituat, vel hereditati tantam quantitatem, tanquam eâ plenior esset, imputet, inventarii beneficia adhuc dum salva manere æquior est sententia fundata in *l. fin.* §. *10. C. d. jur. delib.* Mev. *p. 2. d. 356. n. 25.* Brunnem. *cent. 2. dec. 20. n. 3.* Idem dicendum de specificante, unamqve vel alteram rem subtrahente, vel indicante quidem, sed suam esse mentiente, ut æquè ad duplum teneatur, Movius *d. l. c. 5. n. 5.*

Caput III. & Ultimum.

DE DETEGENDIS FACULTATIBUS IN CASU, UBI RERUM DOMINI ADHUC VIVUNT.

SUMMARIA.

I. *Quando quis ob delictum commissum aufugit, fit annotatio bonorum.* II. *Rejicitur sententia eorum, qui existimant l. ult. d. requir. reis hodie esse sublatam.* III. *Annotatio fit in gravioribus delictis.* IV. *In Judicis, Scabinorum ac cognatorum præsentia fit annotatio.* V. *Quænam bona annotentur.* VI. *Annotata bona possunt distrahi, quæ scil. servando*

servari nonpossunt. VII. *Quid si Reus non redeat, vel se non defendat?* IIX. *Ex facultatibus annotatis præstanda sunt uxori liberisque alimenta.* IX. *Deteguntur facultates per ejurationem facta cessione.* X. *Quinam Debitores admittantur.* XI. *Debitor debet probare paupertatem & corporaliter jurare.* XII. *Ita cedentes & ejurantes tenentur cedere actiones. Competit Creditoribus facultas conquirendi res debitorum.* XIII. *Denique deteguntur facultates ob censum publicum, quando subditi profiteri debent suas facultates vel juratò indicare, ut inde collecta imponantur.*

THES. I.

Deteguntnr facultates vivis adhuc rerum suarum dominis in casu *I. Fugæ*, quando Delinquens ob delictum, pro quo vel pœna mortis, vel corporis afflictiva irroganda venit, aufugit, ac Edictis publicis alioq; solenni modo pro loci consvetudine citatus ut perpetrati delicti rationem reddat vel innocentiam doceat, non comparet. vid. D. Præses *disp. d. Fuga.* Statim autem postquam aufugit, fit *Annotatio facultatum*, quo ipso eæ deteguntur, describuntur, ac judici manifestantur *l. fin. ff. d. requir. reis vel absent. damnand.* Finis hujus annotationis est, ut custodiantur bona & fugitivus compellatur ad se sistendum, dum nihil ad ipsum ex bonis ejus transferri permittitur, quo ipsius fuga instruatur *Sanct. Crim. Carol. V. art. 26.* ibiqve Stephani, in quem finem etiam curæ sit judicibus, ne tempore fugæ, fugitivo quid à debitoribus ejus solvatur *l. 5. §. fin. de requir. reis.* Nam si vel pœna mortis, vel corporis afflictiva coercendus est delinquens, necessum est, ut ipse sit præsens; sed eum præsentem habere commodius fieri nequit, quàm ut ipse mediis vivendi destitutus revertatur Hahn. *ad Wesenb. parat. ff. d. requir. reis n. 5.*

TH. II. Equidem sunt, qui annotationem bonorum

juxta

juxta l. fin. d. requir. reis hodie sublatam esse volunt, ita Rosenthal. *d. feud. cap. 5. concl. 6.* Verum ex *d. art. 206. Sanct. Crimin.* aliud constat; vid. Carpz. *pract. crim. p. 3. qv. 140. n. 4. & 5.* Hoc quidem verum est, hodie non eo fine annotari bona, ut publicentur seu confiscentur, ut olim, sed ut fugitivus se eò citius sistat, vid. Mevius *ad Jus Lubec. art. 23. num. 2.*

Th. III. In levioribus delictis, propter quæ fugiens prædictam pœnam subire nequit, sed fortean tali pœna est afficiendus, quæ in absentem executioni dari potest, ut est Relegatio, non opus est annotatione Gail. *d. arrest. imper. c. 1. n. 5.* D. Struv. *syntagm. jur. civil. exercit. 49. th. 92.*

Th. IV. Annotantur bona fugitivi autoritate judicis, qui in loco commissi delicti exercet judicium criminale, requirentis duos Assessores non suspectos, in quorum præsentia isthæc annotatio inchoatur & perficitur, *art. 206.* ibi: So soll der Richter zween oder drey desselben flüchtigen Freunde erfodern/ und in Gegenwärtigkeit und zweyer Schöffen des Gerichts/ der Sachen unverdacht/ alle seine Haab und Güter/ so in seinem Gericht gelegen / durch den geschwornen Gerichts-Schreiber eigentlich beschreiben und auszeichnen/ und dem Ubelthäter nichts davon folgen lassen. Adhibentur quoqve fugientis cognati, quò omnis suspicio evitetur, quasi minus legaliter ac justè in hac annotatione fuerit processum. Clasenius *in comment. ad d. art. 206.*

Th. V. Annotantur omnia fugitivi bona, sive mobilia, sive immobilia, quæ in judicis istius, qui annotationem decrevit, jurisdictione sita sunt. Quæ enim in alterius territorio deprehenduntur, in istam annotationem non veniunt. Zierizius *ad d. art. 206.* restingit istam annotationem ad illa bona, quæ

profugus tum temporis habuit: ita ut excludantur ista bona, quæ is postmodum jure succesſionis ſibi acquiſivit. Sunt autem ſingula bona accuratè, ordine & diſtinctè notanda; nec quidqvam eorum omittendum, ſed omnia, quæcunqve tandem illa fuerint, diligenter conſcribant, & quidem ordine & diſtinctè cum bonorum iſtorum, feudalia num allodialia fuerint, qualitate. Claſen.*ad d. art. 206.*

TH. VI. Annotatorum bonorum, quæ ſervando ſervari non poſſunt, diſtractio & vendendi facultas conceſſa eſt, ita tamen ut ea non clam fiat, ſed adhibitis duobus Scabinis, item duobus vel tribus fugitivi cognatis, in quorum præſentia bona iſthæc debito modo æſtimata diſtrahantur: & quod pretium ex illis recipitur ab emtoribus, illud accuratè debet notari ab Actuario; id qvod poſtea unà cum ſcripta deſignatione Actuarii in judicio deponi, ibiqve in uxoris, liberorum, aut aliorum heredum commodum atqve uſum reſervari debet. *l.5. §.1. d. requir. reis.* Claſenius *d. l.*

TH. VII. Si redeat reus fugitivus ſeqve purget, aut mortuus ſit, tollitur regulariter cauſa criminis, & bona heredibus reſtituuntur *l.1. §. fin. ff. d. requir. vel abſentib. damnand. l. 1. C. eod.* D. Struv. *Syntagm. jur. civil. exerc. 49. th. 94.* Si verò non redeat fugitivus intra annum, ex qvo annotatio facta, vel edicto, vel literis, ad Magiſtratum datis innotuit, *l. 1. §. 3. l. 4. ff. d. requir. vel abſ. damnat.* neqve reſpondeat vel alium, qui ipſum propter abſentiam defendet, habeat, tunc de jure civili romano bona ejus fiſco vel civitati irrevocabiliter vindicantur *arg. l. 1. §. fin. l. 5. pr. ff. & l. 2. C. d. requir. reis.* Chaſſanæ. *in Conſvetud. Burgund. rubr. 2. des confiſcations n. 10. & ſeq.* Jul. Clarus *lib. 5. §. fin. qv. 44.* Coler. *part. 1. deciſ. 108. n. 1.* Mevius *ad Jus Lubec. lib. 4. tit. 4. art. 13. n. 3.* Colleg. Argentorat. *lib. 48. tit. 17. §. 9.* fiſco autem intra 20. annos, qvi itidem à tempore annotationis computantur

tur *l. 4. d. requir. reis.* fugitivi bona non occupante, præscriptione excludi potest *l. 2. §. 1. l. 3. l. 4. §. 1. eod. tit. & l. 1. §. 3. d. jur. fisc.*

TH. IIX. Ex facultatibus fugitivi annotatis necessaria vitæ subsidia debent Uxori & Liberis ejus suppeditari, non enim bona isthæc ita recipiuntur, ac si receptio illorum debeat in pœnam innocentium cedere; sed saltem ut ea ratione fugitivus eô commodiùs ad revertendum possit adduci. Exhibentur autem alimenta fugitivi uxori & liberis cum præscitu Magistratus, cujus autoritate determinada est alimentorum qvantitas pro conditione & qvalitate, ut & numero liberorum, Ipse verò Magistratus de fugitivorum bonis in propriam utilitatem & commodum nihil debet recipere & ad se trahere. *d. artic. 206.* ibiqve Clasenius *in comment. n. 5.*

TH. IX. II. Quanta calamitas obæratorum fuerit olim & adhuc quoque sit, illud ex jure Romano ac moribus hodiernis satis patescit. Lata enim est olim lex de sectione debitorum pluribus addictorum creditoribus, quam tamen nunquam observatam, adeoque ad terrorem magis quàm usum conscriptam esse dicunt vid. Gellius. *lib. 20. cap. 1.* Rosinus *antiquit. Roman. lib. 8. cap. 6. num. 35.* Gudelin. *de jure novissim. lib. 4. cap. 16. vers. extremum remedium.* Postmodùm addictionis & nexûs potestas obtinuit, atque frequentissimè observata est Covarruv. *Resol. lib. 2. cap. 1. num. 1.* Hodiè in provinciis Saxonicis extra Electoratum Debitor, qui non solvendo existit, ad manus creditoris traditur, ut eum in compedibus, vel vinculis inclusum teneat, aut servitiis tamdiu utatur, usque dum operis suis, vel alia ratione de integro debito satisfecerit, vid. Coler. *d. proc. exec. pag. 1. cap. 6. num. 125. & cap. 3. num. 160.* In Electoratu verò Saxoniæ debitor obæratus propter debitum liquidum conjicitur in carcerem publicum *Constit. Elect. Saxon. 22. p. 2.* ibique Carpzov. *def. 2.* ex quo se ne quidem per bonorum

cessionem liberare potest Carpz. *d. l. def.* 12. Lege verò Julia cautum est, ut, qui sine dolo malo aut culpa ad inopiam est redactus, adeòque Creditoribus suis satisfacere nequit, bonis suis cedendo se liberare possit *l. 4. C. qui bon. cedere poss.* Tandem Imperator in *Nov.* 135. remedium aliquod introduxit, quo debitores liberentur à contumeliis, quæ ipsos aliàs comitari solent, vid. Carpz. *in Asyl. debit. cap. 2. n. 167.* Brunner. *d. cession. bonor. qu. 6. n.* 5. & ultra non teneantur, quàm facere possint, sed quòd vitæ necessaria retineant, scilicet ut Debitores mediante juramento *detegant facultates* suas, seu jurent, *quod nullam rerum causa occasionem, aut aurum reliquum habent, unde æris alicui supplementum faciant.* vid. Mevius *discuss. levam inop. debit. c. 4. sect. 2. n.* 12.

Th. X. Non autem omnes indistinctim debitores ejusmodi detectione facultatum suarum jurata effugere possunt carcerem obæratorum aut admittuntur ad cessionem juratam; sed, qui ad inopiam redacti sunt casu fortuito, ac vitio fortunæ *d. Nov.* 135. sive masculi, sive fœminæ sint, nil refert, cùm hic æquè ad bonorum cessionem admittantur *l. 7. C. qui bon. ced. poss.* Secus est, si ob delictum aliquod ad pœnam pecuniariam sint condemnati, qui nec ad hanc cessionem admittuntur, nec beneficium competentiæ habent *l. 51. & 52. d. re judicat.* Brunner. *d. cession. bonor. qu. 17.* vel etiam sint Decoctores atque bancoruptores, qui dolosè foro cedunt, ac multorum pecuniis interceptis, contra fidem solutioni se subtrahunt, atque propriâ culpa ad inopiam rediguntur, nam nec hi ad cessionem bonorum admittuntur *l. fin. §. fin. ff. quæ in fraud. cred. Ordin. Polit. d. anno* 1548. *tit.* 22. von verdorbenen Kauffleuten/ & *d. anno* 1577. *tit.* 23.

Th. XI. Debitor, prædictæ *Nov.* 135. beneficio usurus debet probare paupertatem suam *d. Nov.* ibi: *res suas amisis-*

ſe. Variis autem modis probari inopiam, videre licet apud Covarruv. *var. reſol. lib. 2. cap. 6. n. 8.* Maſcard. *d. probat. vol. 2. concluſ. 738. & vol. 3. concluſ. 1160.* Manzium *in patrocin. debit. depauperat. decad. 2. qu. 1.* add. diſput. D. Præſidis *d. probation. paupertat.* ac corporaliter ſeu ſolenniter, ne exiſtimetur bona ſua velle occultarem, paupertatem ſimulare, ſicqve creditores ſuos defraudare, ac deniqve debet cavere, ſi in futurum quocunqvemodo res nonnullas acqviſiverit, ſe ex illis creditoribus ſuis ſatisfacere velle Manz. *d. l. decad. 2. qv. 1. n. 16.*

TH. XII. Debitores, qui eo modo, juramento ſcil. detegerunt facultates ſuas, à vinculis & ceſſionis incommodis liberantur, & ſimul tenentur Creditoribus cedere actiones, qvas rerum ſeu nominum cauſâ contra debitores ſuos habent, & omnia, qvæcunqve etiam ſint vel minima, debent detegi, cedi & in ſolutum dari *l. 6. C. d. oblig. & action. l. 96. §. 2. d. ſolut.* Niſi quod eos reditus & proventus, ex qvibus omnem & unicam ſuam ſuſtentationem habent, retineant, cùm Imperator in ſæpè citata *Nov.* 135. injuſtum eſſe putaverit, debitorem, ſine ſua culpa depauperatum, ad qvotidiani victus & amictûs inopiam adigere. Manzius *d. l. q. 2. num.* 82. Unde datur Creditoribus, facta à debitoribus detectione facultatum, facultas ac poteſtas conqvirendi res debitorum, illasqve vindicandi à qvibusvis poſſeſſoribus, imò agendi contra debitorum debitores, etiamſi actionum ceſſio facta non ſit, juxta *d. Nov.* 135. *cap.* 1. Mevius *diſcuſſ. levam. inop. deb. cap. 4. ſect. 2. n. 24.*

TH. XIII. Deniqve detegendæ ſunt facultates *juſſu Magiſtratus propter cenſum publicum.* Ita in nonnullis Germaniæ civitatibus introductum eſt, ut ſubditi bona ſua mobilia (nam de immobilibus ex cataſtro & inſcriptione publicorum librorum eò ſatiùs conſtare poteſt) jurejurando mani-

nife-

nifestare seu detegere debeant, ne Collectantes, seu qvibus jus colligendi ac tributa imponendi jus competit, fraudentur *arg. l. 2. C. quomod. & quib. quarta pars deb.* Boterus *lib. 7. d. illustr. stat. & polit. cap. 7.* Conducit enim vel maximè, ut publicè notæ sint facultates latè Bodin, *lib. 6. de Republ. cap. 1. à princip.* Nicolaus de Monand. au Miroir de François *liv. 3. fol.* 675. Qvoad detectionem seu professionem juratam sufficere videtur, si qvis rem suam æstimet pretio communi; etiam, si eam propter suum affectum ita vendere nolit *l. 63. ad L. falcid.* Pœna autem de Incensis, id est, de his, qvi se censeri, bonaqve æstimari nollent, vel mala fide minoris, qvàm valerent, æstimari paterentur, ex Lege à Servio Tullio latâ (teste Livio) erat vinculorum, mortisqve, aut (secundùm Dionysium Halycarnass.) ut publicatis bonis, verberati venderentur. Hodiè nonnullis in locis usu est receptum, daß die Obrigkeit/das Vermögen/ümb so hoch es von einem geschätzet wird/an sich zu lösen befugt ist. Itidem contra eos, qvi bona publicis collectis & exactionibus obnoxia non profitetur, exercetur secundùm qvosdam actio commissi Modestin. Pistor, *consil. 48. n. 17. lib. 2.* Jure Lubecensi *lib. 2. tit. ult. §. 3.* sancitum est: Der nicht recht bey dem Schoß gethan/der soll in des Raths Straf gefallen seyn/darzu doppelt Schoß geben. Besoldus *d. ærario publico cap. 8. th. 2.* Et si juramentum præcesserit, salvâ manet pœna commissi perjurii. Atqve hæc saltem exercitii gratia, & ut disqvisioni Eruditorum data sit materia, chartis hisce subjicere volui, non diffitens, qvòd si materia hisce pagellis contenta pro sua dignitate tractanda fuisset, ea in justum volumen facilè potuisset excrescere. Sed

SOLI DEO GLORIA.

* * *

Est virtuosi perseqvi laboribus,
Summis licet, viam semel propositam,
Pedesque non fessos priùs defigere,
Qvàm præmium pleno sit exceptum sinu.
Salana nostra vidit hactenus Tuos
Amice gressus impigros, hinc numerat
Non infimos sedes Dicis in atriis.

Politissimo Dn. Langheimio, U. J. Cultori,
de laudabiliter edito specimine
ex animo gratul.

PRÆSES.

Dum jam te exercet detectio clara bonorum,
Et bona magna animi detegis ipse tui.
Magna tua esse bona hæc, declarat scriptio præsens,
Qvam dedit in lucem jam tua docta manus.
Hæc crescant! crescant! (sunt hæc mea vota!) Supremus
Det Deus, ut semper splendidiora fient!

Hæc gratulationis ergo amicâ manu
apposuit

M. GEORG. TITIUS, Eccl. Jen. Diac.

In ihm/ dem grossen GOtt/ wir weben sind und leben
Von ihm empfangen auch wir Menschen den Verstand/
Daß aber unser wird das geistlich, ewig Leben/
Schreibt zu ein rechter Christ allein der Vater-Hand
Wie sich/ was lebt und fühlt/ hab füglich zu bezeigen
Das weisset die Natur uns im gemeinen Trieb
Was Mensch verknüpf mit Mensch und GOtt als dessen eigen
Zeigt so genantes Recht mit seiner Aufschrift: Lieb

Wie weit ein gantzes Volck dem andern sey verbunden
Ist ihnen klar aus dem / so fordert ihr Gesetz
Das Recht so Land und Stadt zum besten ist erfunden
Gibt diese Regel auf: Mitbürger nicht verletz
Wie aber Glaub und Lieb sich freundlich müssen paaren
Im Menschen / zeigt im Wort GOtt dessen Amt es ist
Wohl dem / der jenes thut / und dieses nicht läßt fahren
Der ist ein guter Christ und seeliger Jurist.

Dieses hat seinem Hochgeehrten und Werthgeschätzten Herrn Landesman zu schuldigen Ehren / nebst hertzlichen Wunsch aufsetzen wollen.

M. NICOLAUS MöLLERUS, Flensburg.

Non nisi certantis cinguntur tempora serto,
tantùm vincentes munera larga ferunt.
Tu quoque nunc certas, cathedram dum scandis, Amice,
hinc certò adjiciet munera magna Themis.

Eruditiss. Dn. Respondenti, Conterraneo, & Amico æstimatissimo, de hoc specimine Academico ex animo gratulatur

ANDR. Kellinghusen / S. S. Theol. Stud.

En! quicunque negas Septentrionalia posse
Doctos & claros gignere Regna Viros,
Adspice LANGHEIMUM, (cujus Themis ipsa coronâ
Cingere non renuit tempora); deînde sile.

Hæc Nobiliss. Doctiss. Dn. Respondenti, Autori, Conterraneo & Amico in paucis charissimo, animo calamoque gratulabundo apponere voluit debuitque

G. PETERSEN, Cimber.

Dum

Dum Themis ipsa tuos conatus, FAUTOR amande,
Prædicat & summâ tollere laude cupit,
Ipse pio (dum laude minùs qveo tollere) voto
Proseqvor atque simul debita solvo prece:
Sit Deus ipse Tibi semper custodia tuta,
Qvi te promoveat, qui tua facta regat.

Hisce

Clarissimum & Doctissimum Dn. Respondentem,
Fautorem & Conterraneum æstimatissimum
comitari voluit debuit

S. N. C.

En tua dum virtus cupit in Spectacula mitti,
Atqve abiisse probas non sine fruge dies,
Omne refers istâ punctum congressus arenâ
Hosqve animos laudat pollice utroqve Themis
Attollunt cives plausum, & non inde venire
Non potuit gaudî pars mihi, Chare, tui.

Nobilissimo Dn. Respondenti,
Conterrano & Commensali meo
honoratissimo,
accinebam

EWALDUS LAURENTII,
S. S. Theol. Stud.

Qvid vigor ingenii, qvid ſollers cura laborqve
Efficiat ſpecimen reddis amice palam
Aſtrææ qvod ſis conſtanter caſtra ſecutus
Hoc probat in docto pugna decora choro
Ipſa Themiſta ſibi tali gratatur alumno
Et ſtudiis ſpondet præmia larga tuis
Gratulor & creſcant tibi qvos labor affert honores
Surgat & ex ſtudiis gloria ſumma precor.

Hiſce paucis
Nobiliſſimo Dn. Reſpondenti,
Amico ſuo honoratiſſimo
& Contubernali longè ſuaviſſimo,
applaudere voluit

P. HELM, S.S. Theol. Stud.